

P R Æ F A T I O

potui, emisi. Supererat hæc, quam Primam Secundæ vocant. Eam nunc, Deo, qui desiderium pauperum exaudit, vota mea benè prosperante communico; tardius quidem plurimorum desiderijs, petitionibus, exactiõibus, sed spectata rei magnitudine, occupationum quotidianarum, aliarumque in dies supervenientium mole ac varietate, morborum quoque & infirmitatum gravitate, diuturnitate, non serò.

Non dubium est, plurium prodijisse tum Commentariõs, tum Summas Theologicas, easque magnæ plenas eruditionis. At, qui ipsam Angel. Doctõris Summam à principio ad finem, uno stilo, una quæstionum articulorumque singulorum serie, & eo ordine quem Sanctus ipse constituit, servato, explicet, An, vel unus sit (Cajetanum si excipias, quamquam nec ipse Supplementum explicuerit) nescio. Hoc scio, neminem hîc visum. Sed etsi non deessent; Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 3. de libris ita scribente, *utile est plures à pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat ad alios, sic ad alios autem sic*; videri merito possem non debuisse propterea labori parcere.

Neque est quod offendatur quispiam, si vel aliorum Commentariorum eruditionem mei non adæquent, vel cæterorum facundiã longè sint inferiores: nam & in tabernaculo factum hoc legimus, ut pro varietate virium alius aurum & argentum, coccum, byssum, & purpuram, variaque ac diversa subtegmina; Alij pelles & caprarum offerrent pilos. Si igitur ego in tabernaculum Dei pelles caprarumque pilos obtulero, & alius qui dives est, vel ferrum, vel æs, vel argentum aurumque: & pretiosissimos lapides offerat; non nostra, quia sunt minora contemnat, sed proprijs gaudeat opibus. Nisi enim ima fuerint, summa esse non poterunt? & ut majora laudentur, minorum comparatione succrescunt.

Illud quoque Basilij magni epist. 167. in mentem ei venire potest: *Dictionis in affectata & incomposita simplicitas decora mihi videbatur, & conveniens professioni Christiani hominis, cujus est non ad ostentationem magis scribere, quam ad publicam utilitatem: quemadmodum & illud toties decantatum:*

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Nihilominus tamen alijs sermo politior, & vel sua, vel instituti seu religionis suæ methodus diversa perplaceat, non impedio, non improbo. At nobis nulla unquam magis arrisit, quam ea Beati Angelicique Doctõris, quæ in Summa ejus Theologica continetur. De qua Ant. Possévinus in apparatu sacro ita scribit: Summa denique Theol. in tres tomos divisa, quingentas & duodecim quæstiones, ac bis mille sexcentos & quinquaginta quatuor art. continens: qua omne tulit punctum, ac reliquis omnem videtur præcidisse viam qua aliquid augustius, aut plenius, aut brevius fieri posse unquam putent; ut divinitus pronuntiasse existimetur hæc verba Ioannes huius nominis xxii. Pont. Max. cum B. Thomam in Sanctõrum Catalogo scribi mandasset. Nisi B. Thomas alia edidisset miracula, unusquisque articulus eorum quos scripsit, habendus pro miraculo esset. Sanè methodus incomparabilis, stylus brevis & perspicuus, nexus autem rerum tractatarum tantus, ut aliud ex alio, posterius à priori non solum pendeat, verum etiam lucem ac robur accipiat. E notioribus enim cum semper progreditur, hoc est, ex ijs quæ antea exposuerat & statuerat, omnia suis locis collocat, nulla inani repetitione, nulla redundantia, in quibus nihil mutilum aut mancum; Ita Possévinus. Quibus conformiter Bibliothecæ selectæ cap. 3. *Thomæ* (inquit) *ordo integerrimus & absolutissimus fuit.* Et cap. 9. *Non defuere qui aliam Theologiæ partitionem fecerunt, sed ut diximus, ea quæ à S. Thoma tradita est absolutissima fuit omnium.* Ac rursum cap. 12. *Summa Theologiæ quam B. Thomas scripsit, quasi quantam (ut ita dicam) essentiam omnium laborum suorum expressit, propterea ostendit planissimè seriem quæ cuique in hoc studiorum genere adhibenda est.*